DE NEOCORIA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE GISSENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

GUILELMUS BUECHNER

BREITENBACHIENSIS.



GISSAE

TYPIS GUILELMI KELLER

MDCCCLXXXVIII.

Commentatio, cuius hoc libello continetur pars prior, integra ab J. Rickero, bibliopola Gissensi, protinus emittetur.

Rationi atque consilio illi Caesarum consecrandi principes mortuos quae venerationis formae debeantur cum a compluribus iam curis subtilibus quaesitum sit, de provincialium adulatione ab cultu Romano aliena rarius adhuc neque semper feliciter actum est. Orientis maxime in provinciis pleraque fere sunt ambigua. Unius quidem rei huc pertinentis — neocoriae titulum dico a civitatibus quibusdam in lapidibus ae nummis gestum — principia ac rationes Krause melius quam Eckhelius [1]) perspexisse aliquando sibi videbatur [2]). Sed qui nostra aetate eam attigerunt [3]), neque in Krausii opinione acquieverunt et sententias protulerunt adeo inter se diversas, ut quaestionem ab eo solutam esse credi nequeat. Non inutile igitur videbatur retractare materiam, praesertim cum titulorum copia magis in diem affluente latius nobis pateret prospectus. His confisi periculum illud quam maxime evitare studebimus, quod nummorum imperitis, quorum ex numero emergere frustra adhuc studuimus, in hac re imminet. Ceterum non

---

[1]) doctrina nummorum IV p. 291 sq. Veteriores, qui de neocoria egerunt, ibi nominantur.

[2]) J. H. Krause, *Νεωκόρος*, Lipsiae 1844.

[3]) cf. Preller-Jordan, Roem. Mythol. II p. 451. Mommsen, Roem. Geschichte V p. 319. Marquardt, Staatsverwaltung I p. 504. Pallu de Lessert, l'Afrique Romaine (Paris 1884) p. 19 („question-pleine d'obscurités"). Monceaux, de communi Asiae provinciae (Paris 1886) p. 17 sqq.

nummorum, sed titulorum maxime ex auctoritate difficultates cum hoc argumento coniunctas solvi posse ex disputatione nostra abunde elucebit.

Cum neocoriae autem titulo, quo civitates complures Asiae et provinciarum finitimarum vel propinquarum propter iura quaedam et officia in cultu Caesarum suscepta gloriantur, munus *νεωκόρων* nihil fere cohaeret. Quod etsi ab eo, quod aedituis Romanorum mandatum Marquardtius docte illustravit [1]), non valde diversum erat, tamen difficultatum nonnullarum gratia, quae solvi fortasse possunt, praeterire noluimus. Tam disiecta sane ac dissipata sunt membra, ut ita dicam, quae ad corpus componendum requirantur oportet, ut hac quidem in re nihil me fugisse sperare mihi vix liceat.

I.

De Graecorum aedituis.

Νεωκόρων in templis officia qui definienda sibi proponit, eandem in difficultatem incidit, qua qui de Romanorum aedituis egit pressus est. Exstant enim de utrisque et scriptorum et lapidum testimonia non pauca, sed adeo diversus est eorum, qui aeditui sive *νεωκόρου* officiis functi esse dicuntur, in vita locus, tam varia neocoros quidem singulos negotia gessisse comperimus, ut condicionem eorum unam ubique eandemque fuisse aut mansisse credi nequeat.

Quam difficultatem priusquam solvere conemur, quae fuerint munera, quibus quidem hodie neocoros functos esse sciamus, demonstremus oportet.

---

[1]) de Romanorum aedituis, in commentat. in honor. Mommseni p. 378 sq. cf. Staatsverwaltung III p. 214 sq.

Primum vero de nomine ipso pauca dicere e re esse videtur. Atque Hesychius quidem, qui s. v. *νεωκόρος* — *ὁ τὸν ναὸν* inquit *κοσμῶν· κορεῖν γὰρ τὸ σαίρειν ἔλεγον,* magis quam Suidas s. v. *κόρη* — *νεωκόρος δὲ οὐχ ὁ σαρῶν τὸν ναὸν, ἀλλ' ὁ ἐπιμελούμενος αὐτοῦ* et s. v. *νεωκόρος· ὁ τὸν ναὸν κοσμῶν καὶ εὐτρεπίζων[ἀλλ' οὐχ ὁ σαρῶν]* [1]) primigeniae vocis notionis rationem habet. Quae, cum *κορεῖν,* cui curandi et exornandi vim L. B. de Locella imponere frustra studuit [2]), pro *σαίρειν* dicatur, nulla alia esse potest quam „qui templum verrit". Eos, qui Iones non essent, *ναοκόρος* (cf. Hesych. s. v.; Wescher-Foucart, inscript. rec. à Delphes n. 36. 292. 321. 434. bull. de corr. hell. V p. 409) vel *νακόρος* (cf. Wescher et Foucart, l. l. n. 247. 248. 256. Le Bas, voy. archéol. II 147 b) pronuntiasse, atque formam *νεοκόρος* multo saepius inveniri quam Eckhelius opinabatur, qui Cyzicenos solum et Pergamenos ea in nummis uti censuit [3]) neque deesse formas *νηοκόρος* [4]) vel *νειοκόρος* [5]) neque *νακορεῖος* [6]) minus forsitan intersit

---

[1]) haec verba Bernhardy cod. A et Photium secutus delet.

[2]) apud Eckhelium, d. n. IV p. 289.

[3]) l. l. II p. 454 (cf. Krause, *Νεωκόρος* p 5). At cf. Imhoof-Blumer, monnaies grecques p. 285 n. 41 (Ephesus); catalogues of coins of the brit. Museum, Thrace p. 151 n. 32 (Perinthus); Wood, discoveries at Ephesus append. III n. 12, 13; bullet. de corr. hellén. VII p. 292 (Tarsus); c. i. g. add. 3846 z 43. (Aezani) alib. Hoc in titulo *Ἡρασῆ[κ]α[ι] Τρόφιμος ὁ καὶ Νεοκόρος Ψιττακ[ῷ] ἰδίῳ θρεπτῷ μνήμης χάρ[ιν] Νεοκόρος* recte pro nomine proprio sumunt. In insula Delo id pervulgatum fuisse Athenaeus docet (IV p. 173 a); quod titulo Deliaco c. i. g. add. 2306 b confirmare liceret, si lectio ibi certa esset (exemplar praebet *ΝΕΟΧΟΔΟΥ*, unde *Νεωχώρου* Keilius (anal. epigr. p. 250)). In aliis titulis ut c. i. g. 1703. 3664 *Νεωκόρος* nomen proprium est.

[4]) anthol. palat. IX 22, 2 (Philippus).

[5]) ibid. VI 356, 2 (Pancrates).

[6]) Newton, catalog. of ancient greek inscript. in the brit. Museum II n. 353.

quam scire, quae fuerit ratio inter munus zacori et neocori.

Quae res contorta[1]) ut explicetur tandem, hoce primum tenendum est, zacori munus ad profana quoque pertinere potuisse. Nam sive illud *ζα* intensive positum sive ex *διά* ortum esse censemus, utique hac voce is significatur, qui verrit. Quocum congruit, quod ministros et ministras *ζακόρους* interdum appellatos esse comperimus: cf. Suid. s. v. *ζάκορος* — *καὶ ὁ ὑπηρέτης*. *Λευκαδίᾳ* [Menandri]

ἐπίθες τὸ πῦρ ἡ ζάκορος οὑτωσὶ καλῶς[2]).

Nec vero quominus templa quoque purgandi munus zacori susciperent, quicquam obstabat. Eis autem in delubris neocoros non fuisse et consentaneum est et facile demonstrari potest. E. g. nullus exstat titulus, quo aedituos Aesculapii Atheniensis neocoros vocatos esse comprobetur, cum *ζακόρου* saepissime mentio fiat[3]). Nec magis in templo peregrinorum qui appellantur numinum Deliaco aedituus *νεωκόρος* vocatur, sed semper zacori nomine ornatur[4]). Rursus nemini unquam venit in mentem neocoros Apollinis Deliaci aut Delphici aliter vocare.

Non recte igitur C. Fr. Hermannus *ζάκορος* formam antiquiorem fuisse censuit[5]). Atque quod eam in cultibus, qui gravia et mystica appetiverint, permansisse docet, vel eo refutatur, quod in templis Aesculapii aeditui modo

---

[1]) cf. Bernhardy, in edit. Thom. mag. s. v. *ζάκορος;* Dindorf. in edit. thesauri Stephani s. v.

[2]) Fragm. comic. ed. Meineck. IV p. 160.

[3]) c. i. a. III 68 c. e. 132 o. 171 a. 181 c. h. 229 b. 231 a. b. 774 a. b. 780. a. b. 894 a.

[4]) Bull. de corr. hellén. VI p. 326 n. 20 *Αἰσχρίων — τὸν ἑαυτοῦ ὑὸν Αἰσχρίωνα κλειδουχήσαντα Σαράπιδι, Ἴσιδι, Ἀνούβιδι ἐπὶ ἱερέως Δημητρίου τοῦ Δημητρίου Ἀναφλυστίου, ζακορεύοντος Μαραθῶνος*. cf. ibid. n. 22. 23. 35. 55. 66. 67. VII p. 280.

[5]) antiquitates II § 36, 7.

zacori ut Athenis, Epidauri [1]), Lesbi [2]), modo neocori ut Deli [3]) et Pergami [4]) appellantur.

Itaque plane ex libidine alterutram formam electam esse statuimus. Facile autem intellegitur, quomodo in sermone minus subtiliter composito haec nomina commutari potuerint. Quod Menandrum fecisse cognoscimus ex Suidae verbis *ζάκορος· νεωκόρος· Μένανδρος δὶς ἐξαπατῶντι*

οὐ Μεγάβυζος ἦν,
ὅστις γένοιτο ζάκορος;

nam Megabyzos, Dianae Ephesiae aedituos, *νεωκόρους* appellatos esse constat [5]). Rursus zacorus Aesculapii Atheniensis in scholiis Aristophaneis (ad Plut. v. 670) neocorus vocatur. Simili fortasse modo Dioscurus in titulo Romano c. i. g. 5996 *νεωκόρος τοῦ μεγάλου Σαράπιδος* vocatur, in altero item Romae reperto c. i. g. 6002 legimus

Νηὸν μὲν σιγαλόεντα Σαράπιδος ὑψιμέδοντος
Ἠδ' αὐτὸν χρυσοῦ παμφανοῶντα βολαῖς
Στήσαντο ζάκορός τε Διόσκορος ἠδὲ Κυρίλλου
Εὔνετις ἡ μακάρων μήποτε ληθομένη
Καὶ δύο τῆς αὐτῆς γενεῆς, ἕνα θεσμὸν ἔχοντες,
Οἷσι μέμηλε κλυτῆς ἔργα νεωκορίης.

Idem quidem Dioscorus num utroque loco commemoretur nescimus; sed altero formam *ζάκορος* metri causa electam esse constat. Neque enim Romae neque Ostiae zacori Serapidis praeterea inveniuntur, sed aeditui neocori

---

1) Aeliani v. h. IX 33.

2) Conze, Reise auf Lesbos tab. XVII 1. cf. Collitz, Dialectinschriften I n. 255 — *ἱεροκάρυκα τῶν (ἱ)ερέων ζ[α]κόρων σαώτηρος Ἀσκληπίω. κ. τ. λ.*

3) Bull. de corr. hellén. VI p. 24 l. 196 *νεωκόρῳ εἰς Σαραπιεῖον Ἄμνῳ ρκ κ. τ. λ. νεωκόρῳ ἐπ' Ἀσ[κληπιείῳ ρκ]*. Certa supplevit Homolle, cf. ibid. p. 83.

4) cf. Ael. Aristid. I p. 447/8. 456. 473/4. alib. ed. Dind.

5) Xenophon, anab. V 3, 6. cf. Ritschl, parerg. I p. 406 sq.

appellari solent [1]). Idem certe fit in titulo, quem Stratoniceae repertum ediderunt Deschamps-Cousin, bullet. de corr. hellén. 1887 p. 387.

Ἐξ ζακόρων ζάκορος, φιλότειμός τε ἐκ φιλοτείμων,
Αἰνείου μεγάλου καὶ Παυλείνης φίλος υἱός,
Ζηνὶ Πανημερίῳ ὑπάτῳ μεγάθυμος Ἰάσων
Ἄμμιγα Πυθιανῇ περικαλλεῖ τῇ συνομεύνῳ
Ἑπτὰ ἔτη φιλότειμα Κομύρια θύματ' ἔρεξεν,
Δαῖτας ἴσας παρέχων Ζηνὸς βουλαῖσιν Ἰάσων
Σὺμ φιλίῃ τήθῃ κ. τ. λ.
Θεοφανεῖ τε κασιγνήτῳ, ζακόρῳ τὸ πρὶν ἁγνῷ,
Δῶκεν ἑῇ πατρᾷ δηνάρια μύρια Ἰάσων
κ. τ. λ.

Quo loco cum *ζάκορος* in cultu *Διὸς Πανημερίου* nusquam commemoretur, sacerdotem poetice zacoron appellari, qui titulum ediderunt, suspicantur, nec vero reticent per septem annos sacerdotio quemquam functum esse ex titulis multis a se repertis demonstrari non posse. Cum autem neocori in his titulis commemorentur [2]), Iasonem neocoria per septem annos functum in his versibus zacoron appellari multo veri similius videtur.

Quae cum ita sint, verbis Thomae magistri s. v. *ζάκορος* — *ζάκορος καὶ νεωκόρος διαφέρει· ὁ γὰρ ζάκορος σεμνότερόν τι ἦν νεωκόρου* non magnam fidem habemus. Ornati quidem erant zacori nonnullis in templis auctoritate

---

[1]) Testimonia collegit Dessau c. i. l. XIV 47. cf. 188. Quae cum ita sint, in versibus illis verba *ἔργα νεωκορίης* non solum ad illos *δύο τῆς αὐτῆς γενεῆς*, sed etiam ad Dioscorum et Eunetin referenda sunt. Aliis quoque locis neocori Serapidis religione funguntur : cf. c. i. g. 4724. 5912—4. Kaibel, epigr. graec. 824a. Bullet. de corr. hell. VI p. 24 col. 196. Firm. Maternus, de errore profan. relig. c. 13, 4 ed. Halm. Uno solum in titulo c. i. g. 4470 Laodiceae Syriae reperto *ἀρχιζάκορος Σεράπιδος* commemorari videtur (exemplar praebet *ΑΡΧΙΝΑΚΟΡΟΥ*).

[2]) l. l. p. 376.

satis magna, sed neocoris multis locis idem obtigisse ex disputatione nostra elucebit. Idem denique quod vocibus *νεωκόρος* et *ζάκορος* voce *σηκοκόρος* significari testatur Hesychius s. v. *σηκοκόρος· ὁ τὴν ἐπιμέλειαν τῶν σηκῶν ποιούμενος — ὅθεν καὶ νεωκόρος* [1]). Contra vox Laconica *σιοκόρος* (cf. Hesych. s. v. *σιοκόρος· νεωκόρος, θεωκόρος, θεραπευτὴς τῶν θεῶν*) verbis *νεωκόρος, σηκοκόρος* temere comparatis ex *θεοκόλος* (cf. *θεοκολέω, θεήκολος*) depravata esse videtur [2]).

Absoluta hac de nomine aedituorum quaestione ad munera eorum transire licet. Inter quae primum fuisse purgandi a sordibus templi, quod ex nomine conclusimus, verbis Ionis, quem neocoriae antiquae exemplar Euripides praebet, apte confirmatur. Memineris velim cantici illius, ubi hortorum Ion mentionem facit (v. 116 sq.)

ἵνα δρόσοι τέγγουσ' ἱεραὶ
— — — — — — — —
μυρσίνας ἱερὰν φόβαν,
ᾇ σαίρω δάπεδον θεοῦ
παναμέριος ἅμ' ἁλίου
πτέρυγι θοᾷ
λατρεύων τὸ κατ' ἦμαρ.

atque ab choro eum appellari (v. 794 sq.)

τὸν νεανίαν,
ὃς τόνδ' ἔσαιρε ναόν.

Sed ad alia quoque ministeria inferiora aeditui curam pertinuisse consentaneum est. Neque miramur, quod maioribus quidem in templis complures neocori interdum commemo-

---

1) cf. Ps. Manetho, *ἀποτελ.* IV v. 430 *ἔσσεσθαι σηκῶν τε νεωκορίῃσι μέλοντας.*

2) ex verbo *νεωκορεῖν* (aeditumari) satis trito derivatur *νεωκορεῖσθαι* lexicis ignotum : cf. Wood, discov. at Ephes. append. VI p. 10 l. 15 *νεοκόρωνται* (scil. *τὰ ἀναθήματα*) *παρὰ Σαλο[υταρίῳ αὐτ]ῷ καθιερωκότι κ. τ. λ.*

rantur. Ut in templo Apollinis Deliaci tres [1]), in Asclepio Pergamenorum duo (cf. Ael. Aristid. I p. 473 Dind. ἦν Φιλάδελφος τῶν νεωκόρων ἅτερος). Atque ut alia hoc loco omittamus, Firmicus Maternus de turba neocoron verba facit, qui Serapidis simulacrum in Aegypto custodiverint [2]). — Ut Ionis est volucres audaces a templo prohibere [3]), sic Amorgi incolae, ne homines peregrini Iunonis suae templum ingrediantur, neocoron cavere iubent in titulo quarto a. Chr. saeculo attribuendo, quem edidit R. Weil, Mitteilungen I p. 342 ἔδοξεν τῇ βο[υλ]ῇ καὶ τῷ δήμῳ, Ἀγ|νων] εἶπε· Μελίτων ἐ[πεστ]άτει· μὴ ἐξεῖναι κα[τέρχ]εσθαι εἰς τὸ Ἡραῖ[ον] ξένῳ μηδενί, ἐπιμελε[ῖσ]θαι δὲ τὸν νεωκ[όρο]ν καὶ ἐξείργειν· ἐὰν δὲ μὴ ἐξείργῃ, ἀποτ[ίνει]ν αὐτὸν τῆς ἡμέρας ἑκάστης δέκα δρα[χμ]ὰς ἱερὰς τῇ Ἥρᾳ κ. τ. λ. cf. Phil. Jud. II p. 236 Mangey οἱ δ' εἴσω (scil. νεωκόροι) κατὰ τὸν πρόναον (sc. εἰσίν) ὑπὲρ τοῦ μή τινα ὧν οὐ θέμις ἑκόντα ἢ καὶ ἄκοντα ἐπιβῆναι [4])· οἱ δ' ἐν κύκλῳ περινοστοῦσι κ. τ. λ.

Eodem referas, quod neocori fores claudunt atque aperiunt : cf. Ael. Arist. I 447/8 Dind. ὁ δ' ἔφη — εἶναι περὶ λύχνους ἤδη τοὺς ἱερούς, τάς τε δὴ κλεῖς ἀνακομίζειν τὸν νεωκόρον· καὶ τυχεῖν ἐν τούτῳ κλεισθὲν τὸ ἱερόν κ. τ. λ. Quomodo autem aeditui homines, qui delubra frequentarent, curaverint, illustratur verbis Theodoreti, hist. eccles. III 16 εἱστήκεισαν νεωκόροι (Antiochiae) περιρραντηρίοις τοὺς εἰσιόντας προκαθαίροντες, ὡς ἐνόμιζον. Aesculapii autem in templo Epidauri exstructo aedituos in aegrotis curandis medicos adiuvisse scimus. cf. Hipp. Rheg. apud Aelian. v. h. IX 33 οὐ παρῆν ὁ θεός, οἱ μέντοι ζάκοροι κατακλίνουσι τὴν ἄνθρωπον, ἔνθα ἰᾶσθαι ὁ θεὸς εἰώθει τοὺς

---

[1]) Bull. de corr. hell. VI p. 24 col. 196. cf. Homolle ibid. p. 83.
[2]) De errore prof. relig. c. 13, 4 ed. Halm. cf. c. i. g. 6002.
[3]) v. 106 sq. 154 sq.
[4]) Idem de aedituis Roman. comprobat Marquardt, l. l. p. 380.

δεομένους· καὶ ἡ μὲν ἄνθρωπος ἡσύχαζε προσταχθεῖσα, οἵ γε μὴν ὑποδρῶντες τῷ θεῷ τὰ ἐς τὴν ἴασιν αὐτῇ ἐποίουν κ. τ. λ. [1]). Non recte Kabbadias, qui eandem fabulam in columna Epidaurensi inscriptam edidit (*ἐφημερὶς ἀρχαιολογικὴ* 1885 p. 15), eos qui ab Aeliano *οἱ ὑποδρῶντες τῷ θεῷ*, in titulo *υἱοὶ τοῦ θεοῦ* appellantur, eosdem atque zacoros esse censuit [2]). Contra aetate posteriore neocoros Aesculapii Pergamenorum ipsos quoque aegrotos sanandos suscepisse ex Aelii Aristidis de morbo suo narratione cognoscitur [3]). Alia de aedituo templi Amphiarai Oropensis, ubi aegroti item incubabant, comperimus ex titulo intra annos 420 et 350 a. Chr. composito [4]), qui editus est *ἐφημερ. ἀρχαιολ.* 1885, p. 94. *τὸν ἱερέα τοῦ Ἀμφιαράου φοιτᾶν εἰς τὸ ἱερὸν, ἐπειδὰν χειμὼν παρέλθει μέχρι ἀρότου ὥρης μὴ πλέον διαλείποντα ἢ τρεῖς ἡμέρας, καὶ μένειν ἐν τοῖ ἱεροῖ μὴ ἔλαττον ἢ δέκα ἡμέρας τοῦ μηνὸς ἑκάστο(υ) καὶ ἐπαναγκάζειν τὸν νεωκόρον τοῦ τε ἱεροῦ ἐπιμελεῖσθαι κατὰ τὸν νόμον καὶ τῶν ἀφικνε(ο)μένων εἰς τὸ ἱερόν* — col. 20 *ἐπαρχὴν δὲ διδοῦν τὸμ μέλλοντα θεραπεύεσθαι ὑπὸ τοῦ θεοῦ μὴ ἔλαττον ἐννεοβόλου δοκίμου ἀργυρίου καὶ ἐμβάλλειν εἰς τὸν θησαυρὸν παρεόντος τοῦ νεωκόρου* — col. 39 *τὸ ὄνομα τοῦ ἐγκαθεύδοντος, ὅταν ἐμβάλλει τὸ ἀργύριον, γράφεσθαι τὸν νεωκόρον καὶ αὐτοῦ καὶ τῆς πόλεος καὶ ἐκτιθεῖν ἐν τοῖ ἱεροῖ γράφοντα ἐν πετεύροι κ. τ. λ.*

Est igitur aeditui cavere, ne qui auxilium a deo petentes in templo indormiverint, iusto minorem pecuniam in arca reponant, ac simul notare indormientis et nomen et patriam. Cum autem templum Amphiarai, quod ab

---

[1]) cf. Aristophan. Plut. v. 668 sq. et schol.

[2]) Verum viderunt v. Wilamowitz, Herm. XIX p. 448. Zacher, ibid. XXI p. 470/1.

[3]) I p. 459/60 Dind. *ὕστερον δὲ στέαρ τε χήνειον ἔδωκεν ἐπὶ τῷ νεωκόρου Ἀσκληπιακοῦ σχήματι.* cf. p. 477. 478. 491. 494.

[4]) cf. v. Wilamowitz, Herm. XXI p. 91.

Oropo non paullum remotum fuisse scimus, per dies atque noctes ab aegrotis frequentetur, sacerdos autem paucis tantum diebus in templo adesse iubeatur, de assiduitate neocori cogitare [1]) cogeremur, etsi de neocorio templis adiecto nil aliunde sciremus. Legimus autem in titulo mutilato c. i. a. II 827 l. 9 .... *α δύο πρὸς τῷ νεωκορίῳ.* Neque Boeckhium [2]) secuti vocem *νεωκόριον* in lapide clare [3]) exhibitam in suspicionem vocabimus, praesertim cum in titulo Eleusiniaco, quem edidit Chrestos Isuntas *ἐφημ. ἀρχαιολ.* 1883 p. 117/8 col. 65 (= c. i. a. add. II 834 b col. II l. 65), legantur verba *χοινικίδες ταῖς θύραις τοῦ θησαυροῦ καὶ ταῖς θύραις τῶν πυλίδων καὶ ταῖς τοῦ νεωκορίου* (cf. ibid. col. 44/5, 72), et neocorii praeterea mentio fiat in titulo Deliaco, quem edidit Homolle, bullet. d. corr. hellén. 1882, p. 29 (= Dittenberger, sylloge n. 367) l. 177. Delphis quoque apud delubrum aedituos habitasse comprobatur titulo, qui editus est bullet. de corresp. hellén. V p. 409, cuius in fine legimus *ἁ ὠνὰ κεῖται ἔν τε τῷ ἱερῷ τοῖ Ἀπόλλωνος παρὰ Κλέωνα τὸν ναοκόρον καὶ Φιλοκράτη, Εὔ[α]ρχον, Ἀριστόδαμον Ἀμφισσεῖς, Κάλλιαν Ἡρακλειώταν, [Δ]ροπίναν Καλλιπολίταν.* cf. Wescher et Foucart, insc. rec. à Delphes n. 248. Atque cum Romanorum quoque aedituos in aedibus vel prope aedes habitasse Marquardtius demonstraverit [4]), ubique hunc morem fuisse statuere non dubitamus. Qua aedituorum assiduitate sacrilegiis maxime provisum esse reapse patet. Facile autem intellegitur, quomodo ex hac rerum sacrarum custodia consuetudo oriri potuerit, ut privati quoque homines sicut Romae aedituis [5]) ita in

---

[1]) Comprobat v. Wilamowitz, l. l. p. 94.

[2]) Staatshaushalt II p. 231.

[3]) cf. Rhangabé, ant. hell. ad n. 858. Homolle, bullet. de corr. hell. VIII p. 322.

[4]) l. l. p. 379.

[5]) Ibid. p. 381.

Graecia neocoron fidei pecuniam atque litteras interdum committerent. Quod iam Xenophontem Graeciam post expeditionem appetentem in templo Dianae Ephesiae fecisse, satis notum est [1]). Eodem autem referendum est, quod in manumissionis actis Delphiacis venditionis tabulae (ἁ ὠνά) [2]) neocoris asservandae tradi saepe dicuntur : cf. Wescher et Foucart, l. l. n. 247, 248, 321. Bullet. de corr. hell. V p. 409. Adeo haec consuetudo erat pervagata, ut, si Ritschelio fidem habes, Menandri aetate Graeci si audirent

οὐ Μεγάβυζος ἦν,
ὅστις γένοιτο ζάκορος;

intellegerent „nonne Megabyzus aderat, cui pecunia mandaretur [3]) ?" Elucet autem ex iis, quae attulimus, non recte Nauckium in prologi Ionis Euripideae v. 54/5

Δελφοὶ σφ' ἔθεντο χρυσοφύλακα τοῦ θεοῦ
ταμίαν τε πάντων πιστὸν κ. τ. λ.

ναοφύλακα pro *χρυσοφύλακα* scribi iussisse [4]). Nonne in fabula ipsa minister de Ione narrat v. 1140 sq.

λαβὼν δ' ὑφάσμαθ' ἱερὰ θησαυρῶν πάρα
κατεσκίαζε, θαύματ' ἀνθρώποις ὁρᾶν?

Quod autem poeta significat, aedituos ad res sacras ipsas administrandas nonnunquam aliquid valuisse, confirmare nobis licet. Quo loco ut omittamus ab aegrotis, qui Amphiarai delubrum Oropense frequentarent, neocoro praesente pecuniam in arcam iniectam esse — nam ad arcam ipsam aedituo aditus non patuisse videtur — primum afferri potest, quod donaria neocoron custodiae mandata erant. cf. Ael. Aristid. I p. 456 Dind. *ἐν Περγάμῳ ἐδόκουν στέφανον πέμπειν τῷ θεῷ — προςτάξας τῷ ἀποκομίζοντι*

---

[1]) cf. anabas. V 3, 6/7.

[2]) cf. E. Curtius, nachrichten der univers. Göttingen 1864 p. 138.

[3]) Hanc versuum *δὶς ἐξαπατῶντος* Menandri interpretationem protulit Ritschelius, parerg. I p. 406 sq.

[4]) cf. Heerwerten in edit. Ion. ad v. 54.

— *ἐπαναφέρειν μοι παρὰ τοῦ νεωκόρου ἕτερον.* ibid. p. 516 *μετὰ δὲ ταῦτα βουλευομένοις ἡμῖν κοινῇ περὶ τοῦ ἀναθήματος συνεδόκει καὶ τῷ ἱερεῖ καὶ τοῖς νεωκόροις ἀναθεῖναι ἐν Διὸς Ἀσκληπίου.* Huc certe referendum est, quod in inscriptionibus donariorum neocori nomen saepe additur, ut in titulo Deliaco rev. archéol. vol. 26 (1873) p. 110 n. 5 *ἐπὶ ἱερέως Ἀρίστωνος τοῦ Πλάτορος Κηφισιέως Ποσειδώνιος Ποσειδωνίου Σκαμβωνίδης κλειδουχήσας Διῒ Κυνθίῳ καὶ Ἀθηνᾷ Κυνθίᾳ τὴν τραπέζαν καὶ τὰς στιβάδας καὶ τὰ χρηστήρια ζακορεύοντος Νικηφόρου ἕβδομον καὶ τριακοστόν.* cf. ibid. n. 9. vol. VI p. 230. c. i. a. II 404. III add. 68 e. 181 c. 774 a. 894 a. bullet. de corr. hell. VI p. 326 n. 20. 22. 23. 35. 55. 66. 67. VII p. 280. Multo etiam latius neocoron potestas in aedibus Apollinis et Artemidis Deliacis patuisse videtur, cum amphictyones Atheniensium eas administrabant. Leguntur enim in rationibus ab amphictyonibus ol. 92, 3 relatis, quas Homolle edidit bullet. de corr. hell. VIII p. 284 verba *τάδε ἔπραξαν Ἀθηναίων ἀμφικτύονες οἵδε — ἐπὶ Γλαυκίππο(υ) Ἀθήνησι ἄρχοντος — ἀργύριον παρελάβομεν παρ' ἀμφικτυόνων Θεαγγέλο(υ) Φη|γαέ]ως καὶ συναρχόντων καὶ νεωκόρων Δηλίων [Σ]κ[ί]λ[ακ]ος καὶ συναρχόντων ἐν[τῷ ἱερ]ῷ καὶ τῷ Ἀρτεμισίῳ κ. τ. λ.*

Quo loco quamquam neocoros in rebus administrandis partes inferiores habuisse Homollio concedi potest, tamen vir doctus, quod de negotiis nisi notis eorum cogitari vetat, („*leurs fonctions se bornaient sans doute à la garde, à l'entretien du temple, à des soins matériels, à l'exécution des mesures prises par les amphictyons*“) non bene fecisse videtur. Accurate verba tituli interpretanti (*ἀργύριον παρελάβομεν*) ad ipsas opes administrandas aedituorum potestatem illa quidem aetate pertinuisse statuendum est. Cuius rei quae causa fuerit demonstrare infra conabimur.

Neque minus quam neocoron Deliacorum saeculo a. Chr. quinto condicio, quae de aliorum aliquot templorum

aedituis comperimus, a muneris neocoriae humilitate innativa aliena sunt. E. g. Megabyzum illum, Dianae Ephesiae neocoron, *θεωρὸν* 'Olympiam missum esse Xenophon narrat [1]). Nec defuisse templa, ubi aeditui munus sumptui alicui esset, ex titulo Stratonicensi supra allato [2]) concludere licet. cf. anthol. palat. XI 324, ubi poeta (Automedon) Apollinem iocose querentem fingit, quod Arrhius sit

ἀκνίσσου βωμοῖο νεωκόρος· ἢν τελέσῃ δὲ
τὴν πομπὴν, ἄρας ᾤχεθ' ἅπαντα πάλιν.

cf. ibid. IX 22. Athenaeus VIII 18 p. 337 *ἰδὼν τ' ἐπιθύοντα τὸν νεωκόρον.*

Alios aedituos numinibus suis aras condere comperimus : cf. praeter titulum c. i. g. 6002 supra laudatum, ubi neocori complures Serapidis templum statuamque semet vovisse praedicant, c. i. g. 5997, ubi Serapidis aedituus donaria a se posita enumerat, et eum, quem Rhodi repertum edidit Newton, catalog. of a. g. i. in the brit. Mus. II n. 361

Αἰγύπτου μεδέουσι βαθυκλήροιο Σαΐστης,
ξεῖνε, παρὰ προπύλῳ τούςδε θέτο ζάκορος
βωμοὺς ἀθανάτοισιν, ἐπεὶ γέρας αὐτοὶ ἄνακτες
κεδνοῖς Εὐρώπας παισὶν ἔνειμαν ἴσον
μούνῳ ἐν αἰζείοισι· τόδε κλέος ἄφθονον ὤνηρ
ἐγ μακάρων ἀνύσαι φατὶ δικαιοσύνᾳ [3]).

Splendidiora Hermodorus egit, cum *νεωκόρος τῆς Ἀρχηγέτιδος Χαλκίδος* esset : qui in titulo edito Mitteilungen VI p. 167 a civibus suis laudibus summis tollitur ac placet iis *διά τε τὰ τειχοδομήματα, ἃ ἐποίησεν περὶ τὸ ἱερὸν,*

---

[1]) l. l.

[2]) p. 6.

[3]) Sensus horum versuum, quem semet non prorsus perspexisse Newton confitetur, hic esse videtur : Saistes (homo haud dubie Aegyptius) numinibus, qui Aegypto praesident („Ptolemaeis" Newton), aram ponit, quia honore (zacoriae) Graecis (*Εὐρώπας παισίν*) reservato se auxerint; quod non immerito ab immortalibus sese obtinuisse affirmat.

καὶ τὸν περίβολον, ὃν περιέθηκε τῷ τεμένει, καὶ στοὰν, ἣν μὲν ἐκ καινοῦ κατεσκεύασεν, ἣν δὲ ἐπεσκεύασεν συντετρειμμένην, καὶ τρίκλεινον δειπνιστήριον ποιήσας καὶ θυρώσας εἰς κόσμον τὸν πρέποντα τῇ θεῷ μετὰ φυτῶν καὶ ἄλσους ἀνέθηκεν, ἐπὶ τῷ (?) *ἀίδιον ἔχειν αὐτόν τε καὶ τὰ τέκνα αὐτοῦ τὴν νεωκορείαν κ. τ. λ.*

Talis viri non fuisse templum purgare aut qui advenirent aqua lustrali adspergere apparet. Neque magis Aesculapii Atheniensis zacoros, quorum in numero homines de familia nobilissima Statiorum referuntur [1]), neque desunt, qui dona posuerint splendida [2]), aegrotos in templo per omnia tempora curasse accipi potest. Contra eos neocoros, quibus merces annua drachmarum sexaginta vel centum viginti sicut aliis ministris ordinis infimi saeculo a. Chr. altero Deli praebetur [3]), ad templa exornanda vel statuas erigendas mercem suam contulisse non ita verisimile est.

Eadem autem est singulorum, qui aeditui appellantur, in vita condicionis varietas. Infimi haud dubie ordinis sunt neocori Deliaci, quorum mentionem modo fecimus. At in templo matris deorum, quod orgeonum collegium in Piraeo exstructum habebat, et Sidymae Cariae in delubro Artemidis et Ilythyarum aedituae ex sacerdotalibus aliquamdiu certe eligebantur. cf. c. i. a. II 624 col. 16 *καθιστάτω δὲ* ⌊*ἡ*⌋ *ἀεὶ λανχάνουσα ἱέρε*⌊*ια ζάκο*⌋*ρον ἐκ τῶν ἱερειῶν* [*τῶν*]*γεγ*(*ο*)*νεῶν π*⌊*ρ*⌋*ότερον· δ*[*ὶ*]*ς δὲ τὴν α*[*ὐτὴν μὴ ἐξεῖ*]*ναι*

[1]) cf. c. i. a. III 774a *Γάϊος καὶ Μαῦρος τὸν διδάσκαλον — ζακορεύοντος Στατίου Πυρφ*[*όρου*] *ἐξ ἀκροπόλεως Χολλείδου.* De Statiis pagi Chollidarum cf. ea, quae Dittenberger adnot. ad c. i. a. III 712a. 720b.

[2]) cf. Koehler, Mitteilung. 1877 p. 255.

[3]) cf. rationes, quas a magistratibus, qui *ἱεροποιοὶ* appellabantur, redditas edidit Homolle bullet. de corr. hell. VI p. 24 col. 196 *νεωκόρῳ εἰς Σαραπιεῖον Ἄμνῳ ρ̄κ̄, νεωκόροις καθ' ἱερὸν ρ̄π̄, νεωκόρῳ εἰς νῆσον Σωτέλη*(*ι*) *ρ̄κ̄, νεωκόρῳ ἐπ' Ἀσ*[*κληπιείῳ ρ̄κ̄*] — *Φιλουμένη*(*ι*) *αὐλητρίδι ρ̄κ̄.* cf. Homolle, ibid. p. 83.

καταστῆσαι, ἕως σ[ύμ]π[ασ]αι διέλθωσιν κ. τ. λ. et titulum, quem ediderunt Benndorf et Niemann, Reise in Lycien und Carien p. 77 *Δ* a 7 sq. *οὐ μόνον ἀπὸ θεῶν καὶ κτιστῶν αὐτοχθόνων οὔσης ἀπ' ἀρχῆς ἡμεῖν πρὸς Σιδυμεῖς ὡς τέκνων πρὸς γονεῖς ἀδιαλείπτου ἐν παντὶ καιρῷ ἑνότητος, καὶ* (pro *ἀλλὰ καί*) *ὁμονοίας μεχρὶ νῦν τετηρημένης καὶ* (etiam) *ἐπιγαμίαις παρθένων σεμνᾶς νεοκορείας τῆς ἁγνοτάτης καὶ παρ' αὐτοῖς* [1]) *Ἀρτέμιδός τε [καὶ] Εἰληθυιῶν, ἣ πρόσθεν ἠροῦντο γυν[αῖ]κες ἱέρεια[ι], ὕστερον δὲ κατ' ἐπισζήτη[σιν] καὶ θεουλογίαν μέχρι καὶ νῦν πα[ρ]θένοι, ἀνανεοῦμαι καὶ πρὸς μνήμην καὶ εὐσέβειαν καὶ δόξαν τῆς θεοῦ καὶ τῶν παρ' ἡμεῖν γάμων θηλυτέκνων, [ὧν] ἐκ τῆς εὐσεβημένης θεοῦ τετεύχομεν, τὸν ἐκπεσόντα πρὸ ἐτῶν ρ̅χ̅θ̅ Σιδυμεῦσιν χρησμὸν περὶ νεωκόρου παρθένου κ. τ. λ.* Sequitur oraculum, quo Sidymae incolae neocoros ex virginibus, non iam ex mulieribus sacerdotio functis eligere iubentur.

Alibi quoque viri et auctoritate et opibus florentes neocoriae munus inter cetera, quibus gloriantur, enumerant, ut in titulo Smyrnaeo c. i. g. 3193 — *Τ. Φλ. Ὀνήσιμον Πατερνιανόν, στρατηγὸν ἐπὶ τῶν ὅπλων καὶ νεωκόρον τῶν μεγάλων θεῶν Νεμέσεων, ἵππαρχον, γραμματοφύλακα, πρύτανιν πρῶτον, ἀγορανόμον, ταμίαν τῆς πόλεως καὶ τὰς λοιπὰς ἀρχὰς φιλοτείμως ἐκτελέσαντα κ. τ. λ.* cf. ibid. add. 3831 a 4 = Le Bas-Waddington III 845 (Aezanis repert.) — *Ἰουλιανὸν Τρύφωνος, νεωκόρον τοῦ Διὸς διὰ βίου, εἰρηναρχήσαντα καὶ ἀγορανομήσαντα καὶ στρατηγήσαντα καὶ χρεοφυλακήσαντα καὶ πάλιν στρατηγήσαντα τὸν πρῶτον τόπον καὶ ἐν τοῖς λοιποῖς χρήσιμον ἑαυτὸν παρασχόντα τῇ πατρίδι.* cf. c. i. g. 3201. add.

---

[1]) Haec verba ab editoribus non satis recte intellecta esse videntur : quae scribunt (— *ἑνότητος καὶ ὁμονοίας μέχρι νῦν τετηρημένης καὶ ἐπιγαμίαις, παρθένων σεμνὰς νεοκορείας τῆς ἁγνοτάτης καὶ παρ' αὐτοῖς κ. τ. λ.*), sensu carent.

3831 a 7 = Le Bas-Waddington III n. 985. Bullet. de corr. hellén. VII p. 279. 292. Nec vero eos, qui in templis Caesarum neocoria functi sunt, ordinis inferioris fuisse consentaneum est. cf. c. i. g. 3190 *ἡ ἱερὰ σύνοδος τῶν περὶ τὸν Βρεισέα Διόνυσον τεχνειτῶν καὶ μυστῶν Μᾶρκον Αὐρήλιον — Ἰουλιανὸν, τὸν δὶς ἀσιάρχην καὶ στεφανηφόρον καὶ νεωκόρον τῶν Σεβαστῶν καὶ βάκχον τοῦ θεοῦ κ. τ. λ.* cf. ibid. 3484. 3497. add. 3831 a 17 = Le Bas-Wadd. III 848. *μουσ. κ. βιβλιοθήκη τῆς εὐαγγ. σχολ. ἐν Σμύρνῃ* III (1879/80) p. 177. *Γν. Πομ. Κοναρτεῖνον Πομ. Ἑρμίππου, ἀσιάρχου καὶ νεοκόρου, ὑὸν καὶ αὐτὸν νεοκόρον τῶν Σεβαστῶν καὶ γραμματέα τοῦ δήμου κ. τ. λ.*

Dubitari igitur non potest, quin neocori et zacori munus aliis locis temporibusque aliud fuerit. Quam mutationem ubique ad Asianorum exemplum paullatim factam esse C. Fr. Hermannus censuit [1]). Quod si ita se haberet, vituperatione digni essemus gravissima, quod in officiis aedituorum recensendis temporum nullam fere rationem, sed similia componere satis habuimus. Neque tamen Hermanno assentiri licet; nam etiam infima aetate in templis nonnullis neocoros negotiis despectis occupatos cognovimus [2]). Videntur igitur neocori aliquot quidem in templis per omnia tempora in humilitate sua permansisse, alibi autem, sicut pyrophoris, quorum munus humile initio fuisse apparet, in Boeotia quidem amplitudo non parva obvenit [3]), etiam illi maturius seriusve officiis gravioribus usurpatis dignitatem quandam assecuti esse. Quod ut fieret, unius cuiusdam provinciae exemplum minoris momenti fuisse videtur quam fortuna. Aut quomodo explicari potest, quod exeunte saeculo p. Chr. quinto aeditui Apollinis Dianaeque in insula Delo muneribus satis gravibus fun-

---

[1]) Antiquit. II § 36, 7.
[2]) cf. p. 8.
[3]) cf. Foucart, ad Le Bas, voy. arch. II n. 147 b.

guntur [1]), postea autem in actis ἱεροποιῶν inter ministros infimos enumerantur [2]) ? Cüius mutationis quae causa fuerit, coniectura assequi fortasse possumus. Cum enim Deliaci, quod Athenienses per amphictyones delubra sua administrarent, graviter ferrent, Athenienses aetate belli Peloponnesiaci eis id quidem concessisse videntur, ut neocori indigenae amphictyonum munerum participes essent. Cum autem Atheniensibus templi administratio, qua post pugnam apud Aegos Potamos commissam, ut videtur, exuti erant [3]), denuo commendaretur, Deliacis beneficium illud non amplius tribuisse videntur. Nulla certe neocoron in consilio amphictyonum inde ab eo tempore mentio fit [4]), atque indigenas summa Atheniensium inimicitia tum exarsisse satis constat [5]). Hac ratione explicari fortasse potest, quomodo aeditui Deliaci, qui magistratus vice paullisper fuerant (ἄρχοντες), in humilitatem pristinam postea reduci potuerint.

Quibus autem in templis aeditui munus amplitudine quadam ornatum esset, vilia illa ministeria ad homines alios translata esse accipiamus oportet. Porro eo comprobatur haec sententia, quod ὑποζακόρου mentio interdum fit, ut in titulo c. i. a. III 894a — ζακορεύοντος (in Aesculapii delubro) *Εὐδήμου τοῦ Ἑρμείου Γαργηττίου, ὑποζακορεύοντος Εὐαγγέλου τοῦ Δημητρίου Γαργηττί[ου]*. cf. Hesych. s. v. ὑποζάκορος. Herodot. VI 134. c. i. g. 1634 [6]).

---

[1]) cf. p. 12.

[2]) cf. p. 14 adnot. 3.

[3]) Boeckhium hoc negasse constat; cf. kl. Schrift. V p. 439; Staatshaushalt[3] p. 486/7. Sed cf. Homolle, bull. de corr. hell. III p. 12 sq. VIII p. 289/90.

[4]) c. i. a. II 814. cf. Homolle l. l.

[5]) cf. Homolle ibid. p. 291 sq.

[6]) cf. S. Cypriani confessionem, quam edidit Preller, Philologus 1846 p. 349 sq. — *καὶ ἐν τῇ ἀκροπόλει Παλλάδος τῷ δράκοντι ἐλειτούργησα εἰς προκοπὴν νεωκόρον καταστάς κ. τ. λ.*

Utrum autem aliis in templis ministri eiusmodi et ipsi neocori appellati sint an *θεραπευταί* (cf. Le Bas-Wadd. III 358 (Mylasae rep.) — *ἐπὶ ἀρχιερέως — στεφανηφόρου δὲ — Μόσχου νεωκ[οροῦντος], ὑπηρετούντων Πακ[ίου], Μηνᾶ, Δημο[νίκου] — [τῷ] Διὶ* et. Ael. Aristid. I p. 447/8 Dind.) vel simile quid audiverint, parum liquet. Illud quidem negare ideo nolumus, quia Romae quoque in templis quibusdam duo aedituorum genera fuisse scimus, alterum virorum nobilium, qui templorum curam periculi sui facerent, alterum servorum et libertorum, quibus officia humilia delegarentur. Qui quamquam proprie appellabantur aeditui ministri (vel a sacrario), tamen plerumque aeditui nomine gloriantur [1]). Etsi non eadem, at similia in templis Serapidis deprehenduntur: cf. titulum Laodiceae Syriae repertum c. i. g. 4470 *Σωσιπάτραν Θεογένους τοῦ Στράτωνος, τοῦ ἀρχι[ζ]ακόρου* (*ΑΡΧΙΝΑΚΟΡΟΥ*) *τοῦ μεγάλου Σαράπιδος, — ἱερασαμέν[η]ν τ[ῆ]ς κυρίας Ἀρτέμιδος τῷ γξρ ἔτει* (= a. u. c. 868) — *ἡ μάμμη*. Verisimile igitur est eos, qui in titulis Romanis *ὁ κράτιστος νεωκόρος* (c. i. g. 5996. 6001) vel *ὁ πρεσβύτατος τῶν νεωκόρων τοῦ Σαράπιδος* (ibid. 5913.) appellantur, non iactatione quadam [2]), sed quia collegis suis praepositi erant, illud *κράτιστος* aut *πρεσβύτατος* addere. Eandem fuisse rationem in delubro aliquo civitatis Aezanorum cognoscimus ex titulo c. i. g. add. 3831 a 13 = Le Bas-Wadd. III 842 — *Ἀ. Κλ. Λέπιδον, τὸν ἀρχινεωκόρον, ἱερέα τοῦ αὐτοκράτορος διὰ βίου, ἀρχιερέα Ἀσίας ναῶν ἐν Σμύρνῃ, στεφανηφόρον κ. τ. λ.* Eodem certe referendum est, quod amphictyones Atheniensium in titulo saepius supra laudato (bullet. de corr. hell. VIII p. 284) pecuniam semet accepisse dicunt ab amphictyonibus et a Scylace neocoro iisque,

---

1) cf. Marquardt, l. l. p. 382.

2) Quod Franzio (ad c. i. g. 5996) videbatur.

qui eius collegae essent in delubro Apollinis et in Artemisio.

Aliis quoque locis aeditui complurium templorum in collegium quoddam coisse videntur. Quo in genere Perrotium quidem in senatusconsulto Cyzicenorum, quod edidit revue archéol. n. s. XXXI p. 350, non recte „ne[ocor]on corpus“ supplevisse, cum „neon corpus“ legendum esse ipso lapide indicaretur, Mommsenus monuit [1]. Sed si legimus in lapide Rhodiaco (Newton, catal. of a. gr. i. in the brit. Museum II 353) virum quendam de religione et patria bene meritum honoratum esse *ὑπὸ Ἀσκλα[πιαστᾶν καὶ κοινο]ῦ Θιασ[ι]τᾶν καὶ Ἑρμαιστᾶν καὶ ὑπὸ Σεραπι[αστᾶν] κ. τ. λ. καὶ ὑπὸ ναχορείων*, hos *ναχορείους* propterea quod cum collegiis illis componuntur et communiter agunt, ipsos collegium quoddam formasse verisimile est. Quamquam eos aedituos fuisse affirmare quidem subdubitamus.

Restat ut quaeramus quamdiu neocori singuli munere suo functi sint. Perpetuum id non ubique fuisse vel inde elucet, quod aedituis bene meritis interdum conceditur, ut *νεωκόροι διὰ βίου* sint : cf. c. i. a. II 624 col. 34. Mitteilungen VI p. 167. Le Bas-Waddington III 845. 848 = c. i. g. add. 3831 a 17. Ac sane non raro addunt, quotiens neocoriae munere functi sint. E. g. in titulo Commanae reperto, qui editus est journal of philology XI p. 146, commemoratur *Αὐρ. Κύριλλος β' νεωκόρος τοῦ Ἀπόλλωνος*, et in titulo Deliaco (rev. archéol. 1873 p. 110 n. 5) supra laudato [2]) verba leguntur *ζακορεύοντος Νικηφόρου ἕβδομον καὶ τριακοστόν*; cf. bullet. de corr. hellén. VI p. 346 n. 66 *ἐπὶ ἐπιμελητοῦ τῆς νήσου κ. τ. λ. ζακορεύοντος Ἐνόδου τὸ ὀκτὼ καὶ δέκατον.*

---

[1]) Ephem. epigraph. III p. 156.
[2]) p. 12.

Non recte autem civitatum aliquot in nummis neocoros eponymos esse affirmant [1]). Nam qui ibi commemorantur, *στρατηγοὶ* vel *ἄρχοντες* vel *γραμματεῖς* sunt atque addunt se neocoriae munere quoque functos esse vel fungi. cf. Mionnet IV p. 206 n. 62 *δῆμος Αἰζανειτῶν*. R|. *ἐπὶ Ἰου. Σεουηρείνου ἀρχ. γ.' νεωκόρ.*; cf. ibid. p. 169 n. 977. III p. 16 n. 95. 105. suppl. VI p. 31 n. 211. IV p. 223 n. 169. Tum ne eiusmodi quidem nummi desunt, ubi aeditui saepius munere suo functi esse dicantur. Ut in nummo Magnesiae Ioniae Mionnet, III p. 157 n. 701, cuius in parte aversa legitur *ἐπὶ γρ(αμματέως) Τυχικοῦ β' νε(ωκόρου) Μαγνήτων*. cf. ibid. II p. 516 n. 21. p. 565 n. 330. Cum autem eosdem neocoria compluries fungi vetitos non esse videamus, orgeonum in Piraeo collegium hoc quam maxime evitasse ex verbis tituli c. i. a. II n. 624 supra laudatis [2]) intellegimus. Quamquam postea femina quaedam, quae in munere zacori ((*ἱερωσύνη*) [3]) laudes summas sibi comparaverat, *ζάκορος* designatur perpetua. cf. ibid. col. 34. . . . *φι]λοτειμοῦνται αἱ ἱέρειαι τοῦ κατασταθῆναι αὐτὴ[ν] διὰ βίου ζάκορον τεῖ θεῷ.* Aliis in templis munus ex annuo quasi perpetuum redditum est, cum per longum tempus continuabatur. Huc refer, quod hic, ut vidimus, duodevicies, ille tricies septies neocoria fungitur. Ceterum iis in templis, ubi neocori ministri erant humiles, eos ut ministros modo diutius modo brevius mansisse consentaneum est.

Denique monere liceat vocem *νεωκορία* interdum translatam de veneratione dici : cf. Plut. de Iside et Osir. c. 2a *διὸ θειότητος ὄρεξίς ἐστιν ἡ τῆς ἀληθείας, μάλιστα δὲ τῆς περὶ θεῶν ἔφεσις, ὥσπερ ἀνάληψιν ἱερῶν τὴν μάθησιν ἔχουσα καὶ τὴν ζήτησιν, ἁγνείας τε πάσης καὶ νεωκορίας*

---

[1]) Preller, Roem. Mythol. II³ p. 452.

[2]) p. 14.

[3]) l. 32. cf. p. 5 adn. 2.

ἔργον ὁσιώτερον. Simili autem modo Plato voce *νεωκόρος* utitur : cf. leg. VI p. 759 a *οἷς μέν εἰσι πάτριαι ἱερωσύναι καὶ αἷς, μὴ κινεῖν· εἰ δὲ οἷον τὸ πρῶτον κατοικιζομένοις εἰκὸς γίγνεσθαι περὶ τὰ τοιαῦτα ἢ μηδενὶ ἤ τισιν ὀλίγοις — οἷς μὴ καθεστήκοι, καταστατέον ἱερέας τε καὶ ἱερείας νεωκόρους γέγνεσθαι τοῖς θεοῖς.* Quo loco non de munere neocoriae agitur, sed eligi sacerdotes, qui deos colendos suscipiant, Plato iubet [1]).

II.

De civitatibus neocoris.

Civitates ipsas in cultu partes hominum agentes fingere orientalium animi propensi erant. Qua ex consuetudine eae appellantur sui quaeque numinis principalis interdum nutrices [2]), multo saepius aedituae.

Hoc nomen quando usu recipi coeptum sit, plane nescimus : hoc solum affirmare licet, opinionem illam, qua civitates aliquot iam ante Caesarum tempora in nummis neocoriae titulum gerere creduntur, quamvis penitus nonnullorum animis insita sit, evelli oportere, quippe quae ab autonomorum solum qui vocantur nummorum aliquot indiciis repetatur. Quos cum nummi Caesarum, qui civitatibus eis numinum suorum neocoriam attribuunt, non ante finem saeculi p. Chr. secundi appareant, ante Augustum concussos esse nemo existimabit, sed iisdem fere temporibus,

---

1) Stallbaumium hoc effugit; vertit enim : iis quibus non constitutum sit, constituendi sunt diis sacerdotes utriusque sexus, qui item sint aeditui.

2) Ephesus *τροφὸς τῆς ἰδίας θεᾶς* c. i. g. 2954 a = Le Bas-Waddingt. III 137; Miletus *τροφὸς τοῦ Διδυμέου Ἀπόλλωνος* bullet. de corr. hell. I p. 288 n. 65 = Dittenberger, sylloge n. 293.

quibus illi debentur, attribuet. Ex libidine igitur Monceaux loquitur, cum iam ante subactam Asiam neocoros „plures“ populos appellatos esse affirmat [1]), nisi forte testimonia aliis ignota viro docto praesto sunt; qualia quia non protulit, nobis quidem dicendum est sub Septimii Severi demum et Caracallae imperio Aezanos Iovis [2]), Ephesum Dianae [3]), Magnesiam Dianae Leucophryonae [4]) neocoria publice gloriari.

Quamquam multum abest, ut has civitates vel alias in sermone et consuetudine cottidiana eo titulo iam multo ante ornatas esse negemus. Neque enim cognomina eiusmodi, ubi primum usurpari coepta sunt, in lapidibus aut in nummis apparent. Praeterea huc quodam modo spectat, quod legimus in act. apostol. XIX 35 *τίς γάρ ἐστιν ἄνθρωπος, ὃς οὐ γινώσκει τὴν Ἐφεσίων πόλιν νεωκόρον οὖσαν τῆς μεγάλης θεᾶς Ἀρτέμιδος καὶ τοῦ Διοπετοῦς;* Etiam Iudaeos Iosephus duobus locis dei sui neocoros appellat [5]).

---

[1]) De communi Asiae provinciae (Paris 1886) p. 20.

[2]) Le Bas-Waddingt. III 988 (= c. i. g. add. 3841 d) *M.] Α[ὐρ. Ἀντωνεῖ[ν]ον — υ[ἱὸν] [αὐτοκρά]τορος [Λ Σ]επτιμίου Σεου[ή]ρου Περτίνακος [Σ]ε[βα]στοῦ η βου[λ]ὴ καὶ ὁ νεωκόρ[ος] τ[οῦ Δ]ιὸς ἱερὸς καὶ [ἄσυλ]ος [Α]ἰ[ζανειτῶν] δῆμος κ. τ. λ.* cf. ibid. 875 (= c. i. g. add. 3841 g). Mionnet, suppl. VII p. 498 n. 89.

[3]) Titulus, quem ediderunt Waddingt. fast. n. 164 et C. Curtius Herm. VII p. 29 (cf. Wood, append. VI 6) *[ἡ πρώτη καὶ μεγίστη μητρόπολις τῆς Ἀσίας κ]αὶ δὶς νεω[κόρος τῶν Σεβαστ]ῶν κατὰ τὰ δόγματα τῆ[ς συ]γκλήτου καὶ νεωκόρος [τῆς] Ἀρτέμιδος καὶ φιλοσέβαστος Ἐφεσίων πόλις — ἐπεσκεύασεν — ἔκ τε τῶν ἄλλων πόρ[ω]ν καὶ [ὧ]ν εὗρεν ὁ λαμπρότατος ἀνθύπατος . . . Τινέϊος Σακέρδως* Septimii Severi aetate positus exemplum praebet vetustissimum, cum in nummis neocoriae Dianae non ante Caracallam et Getam mentio fiat; cf. Eckhel, II 520.

[4]) Mionnet III p. 153 n. 669. 674. suppl. VI p. 247 sq. cf. Eckhel II 527.

[5]) Bell. Iud. V c. 9. p. 256 Dind. *τίς οὐκ οἶδε — τοὺς — μετὰ φρουρᾶς προπεμπομένους πατέρας ἡμῶν — οὓς ὁ θεὸς ἑαυτῷ νεωκόρους ἦγεν;* cf. ibid. l. 50.

Sed in monumentis publicis, quod quidem hodie videamus, huius numinum neocoriae non ante finem saeculi p. Chr. secundi mentio fit. Contra Caesarum *νεωκόροι* civitates nonnullae iam multo ante publice appellantur. Ut Ephesii in titulis duobus, qui Antonini Pii aetati debentur, quorum alterum edidit C. Curtius Hermes IV p. 187 (= Wood, discoveries append. VIII 12) ... *καὶ αὐ[τοκράτορι Τ. Αἰλί]ῳ Ἀδριανῷ Ἀντωνείνῳ Καίσαρι Σεβαστῷ Εὐσεβεῖ καὶ τῇ πρώτῃ καὶ μεγίστῃ μητροπόλει τῆς Ἀσίας καὶ δὶς νεωκόρ[ῳ] τῶν Σεβαστῶν Ἐφεσίων πόλει κ. τ. λ.* cf. Wood, ibid. append. VI 7. Curtius, ibid. p. 185. Praeterea quod Smyrnaei in titulo c. i. g. 3148 inter beneficia Hadriani enumerant *δεύτερον δόγμα συνκλήτου, καθ' ὃ δὶς νεωκόροι γεγόναμεν*, post vocem *νεωκόροι* verba *τῶν Σεβαστῶν* subaudienda esse manifestum est. Nam ut civitas quaepiam numinis sui summi *νεωκόρον* sese dicticaret, senatusconsulto opus non fuisse inter omnes constat (cf. titulum Ephesiacum modo laudatum) [1]). Tetigimus autem Smyrnaeorum titulo allato difficultatem in hac re summam. Perraro enim civitates cuius ministras neocoriae titulo sumpto sese profiteantur addunt, ut ad numinum an Caesarum quemvis eorum neocoria pertineat saepe ambiguum esse videatur. E. g. in nummo Neronis M. Acilio Aviola proconsule consignato, in quo prima neocoriae eiusque Ephesiorum mentio obvia est (*Νέρων Καῖσαρ.* R|. *Ἀουιόλα. ἀνθυπάτῳ. Αἰχμοκλῆς Ἐφ. νεωκόρων.*) [2]), utrum Augustorum an Dianae *νεωκόρος* Ephesus appelletur diiudicare difficile videtur. Eckhelius, qui hanc rem paucis percurrit [3]), quando civitates *δὶς* vel *τρὶς νεωκόροι* appellentur, *τῶν Σεβαστῶν* subaudiendum esse censet. Ac sane civitates sui quamque numinis principalis, ut Ephesum

[1]) p. 22 adn. 3.
[2]) Waddington, fastes n. 93. cf. Mionnet. III p. 93 n. 253.
[3]) D. N. IV p. 297. Tacet Krause.

Dianae, Aezanos Iovis, *νεωκόρους* appellatas esse neque complurium numinum neocorias sibi vindicasse consentaneum est. Nec vero eos, qui diligenter loquerentur, neocoriam numinis domestici imperatorum neocoriis commiscuisse ex Ephesiorum titulis cognoscimus : cf. praeter inscriptionem supra laudatam (p. 22) Le Bas-Waddington III 147 b (exemplum vitiosum legitur c. i. g. 2972) — [*τῆς πρώτης καὶ μεγίστης μητροπ*]*όλεως τῆς Ἀσίας καὶ τρὶς νε*[*ωκόρων τῶν Σεββ. Ἐφεσίων πόλεως, μόνω*]*ν ἁπα(σῶν) δὲ τῆς Ἀρτέμιδος ἡ φι*[*λοσέβαστος βουλὴ καὶ ὁ τρὶς νεωκό*]*ρος δῆμος κ. τ. λ.* Eadem distinctio in nummis nonnunquam occurrit : cf. Mionnet, suppl. VI p. 164 n. 561 *νέοι Ἥλιοι têtes de Caracalla et Geta.* R|. *Ἐφεσίων δὶς νεωκόρων καὶ τῆς Ἀρτέμιδος;* ibid. p. 159 n. 524 *Ἰουλία Δόμνα Σεβ.* R|. *Ἐφεσίων τρὶς νεωκόρων καὶ τῆς Ἀρτέμιδος.* Ubi post *δὶς* et *τρὶς νεωκόρων τῶν Σεβαστῶν* subaudiendum esse manifestum est [1]).

Difficilior quaestio de iis civitatibus est, quae nulla deorum vel imperatorum mentione facta neocoria simplici gloriantur. Quarum omnium neocorias ad imperatores pertinere num concedi possit Eckhelius sese dubitare breviter adnotat. Quo loco hoc primum teneas, non minus atque post duplicem et triplicem neocoriam illud *τῶν Σεβαστῶν* post simplicem omitti posse. E. g. Laodicea Phrygiae, cuius in nummis *Λαοδικέων νεωκόρων δόγματι συνκλήτου* inscriptum est [2]), Caesarum haud dubie neocoria ornata erat. Atque in nummo Trajani Mionnet, suppl. VI p. 340 n. 1687 . . . . . . *tête de Trajan.* R|. *Σμυρναίων νεωκόρων* non alius numinis, sed Caesarum neocoriam intellegendam esse vel inde apparet, quod Smyrnaei secundam neocoriam (Caesarum) secundo senatus consulto sub Hadriano sese

---

[1]) cf. Eckhel, ibid.; v. Sallet, Z. f. Numismatik V p. 249.
[2]) Eckhel III p. 165.

accepisse affirmant [1]). Iam quaeritur, num item civitatibus dei deaeve alicuius aedibus ornatis numinis nomine non addito νεωκόρους sese dictitare licuerit. Quod ut disceptetur, cum Ephesii imperatorum quoque neocoria ornati iis locis, ubi simpliciter neocoros sese appellant, utrum Dianae suae an imperatorum neocoriam intellegant ambiguum sit, nullae nisi Magnetium et Aezanitarum civitates aptae sunt, quarum utramque neque imperatorum νεωκόρον fuisse et numinis sui principalis neocoriam publice praedicasse sciamus. Cum autem neutra earum illud τῆς Ἀρτέμιδος aut τοῦ Διὸς neocoriae titulo addere ullo loco omiserit [2]), omnium civitatum neocorias in monumentis publicis obvias, quibus dei deaeve nomen non addatur, ad imperatores referre praestabit.

Atque facile, ut opinor, causa intellegitur, cur Caesarum dumtaxat neocoria auctis, quo ea pertineret, omittere licuerit. Quamquam enim neocoriae titulum ex deorum dearumve templis in Caesarum religionem translatum esse comprobari potest, tamen consuetudinem eum publice gerendi in hac introductam eademque usque ad finem saeculi p. Chr. alterius se continuisse supra demonstravimus. Procedente autem tempore iurum quorundam atque officiorum in culto Caesarum summam eo significare consueverunt. Ad quem igitur neocoria pertineret, diserte exprimere otiosum erat. Cum autem postea civitates nonnullae deorum suorum neocoriam prae se ferre inciperent, eas dei vel deae nomine oppresso cum civitatibus neocoria imperatoria ornatis semet exaequare vetitas esse suspicari in promptu est.

Quamquam contra hanc legem nonnunquam peccatum esse negari vix potest. Ephesios quidem cum tribus im-

---

[1]) c. i. g. 3148.

[2]) In titulo c. i. g. add. 3841 g. [τῆς ἱερᾶς καὶ] ἀσύλου καὶ [νεωκόρο]υ τοῦ Διὸς [Αἰζανει]τῶν πόλεως [ἡ φιλοσέβα]στος βουλὴ [καὶ ὁ νεωκόρ]ος δῆμος postrema dubia sunt.

peratorum neocoriis Dianae suae neocoriam interdum confudisse, ut *τετράκις νεωκόροι* evaderent, Vaillantium et Eckhelium secuti infra demonstrabimus[1]). Quod contra morem ab Ephesiis factum esse inde scitur, quod in lapidibus, quos maiore cum diligentia inscriptos esse constat, quadruplici neocoria nunquam gloriantur, sed *τρὶς νεωκόρον τῶν Σεβαστῶν καὶ τῆς Ἀρτέμιδος* civitatem suam appellant. Simili autem modo ut alia quoque oppida nullo Caesarum, sed dei deaeve cuiuspiam templo exornata *νεωκόροι* insolenter appellarentur, fieri potuisse negare non audemus. Quas civitates hoc peccasse verisimile sit, suo loco monebimus. Universe autem dicere licet eis civitatibus, quae neocoria gloriantur neque cuius aedituos sese profiteantur addunt, neocoriam imperatoriam attribuendam esse.

Hoc tenentibus earum civitatum, quae in lapidibus ac nummis deorum neocoria ornatae conspiciantur, satis exiguum esse numerum censendum nobis est. Contra in cultu Caesarum neocoria latissime patet : ab Asia enim profecta provinciarum, quae finitimae sunt, civitatibus occupatis usque ad Syriam et Palaestinam, Thraciam ac Macedoniam propagata est.

Haec imperatorum neocoria, quam veteres secutis neocoriam breviter et simpliciter vocare nobis licebit, quid fuerit quaerimus; agetur autem primo de iis, quae ad neocoriae titulum impetrandum civitatibus opus erant, deinde de tempore, quo singulae *νεωκόροι* factae sunt.

Caput I.

Quae fuerit civitatum, quae Caesarum *νεωκόροι* appellantur, condicio.

Inter civitates, quae ut neocoria praeditae ab Eckhelio[2]) et recentioribus[3]) afferuntur, non paucas esse, quae num

---

1) Cap. I § 4.
2) IV p. 291 sq.
3) Krause, *Νεωκόρος* p. 25—39. Monceaux, l. l. p. 26.

hoc honore revera ornatae sint incertum sit, ne ipsos quidem auctores illos fugit. Quae difficultas inde fluit, quod uno persaepe testimonio neque eo dubitationi non subiecto in hac re uti licet. Fontes enim scientiae nostrae, quia scriptores ad unum omnes de neocoriae titulo tacent, nullos habemus nisi lapides et nummos. Quorum illi cur gratissimi semper sint, qui quidem difficultates, quas nummi hodie afferunt, semel gustaverit, non ignorabit. Nam ut adulterinos omittamus, titulos eorum perperam saepe descriptos esse et constat et ex exemplis certis concludere aequo saepius cogemur. Itaque eas quidem civitates, quae in lapidibus neocoria gloriantur, quin imperatorum *νεωκόροι* fuerint, ne tum quidem dubitabimus, cum nummi tacent. Quod interdum accidere ut intellegatur, exemplo esse possunt Nicopolis Armeniae [1]), Anazarbus Ciliciae [2]), Synnada Phrygiae [3]), quae oppida neocoria ornata fuisse non ex nummis, sed ex titulis solis cognoscimus.

Nec minus iis civitatibus, quae multis in nummis *νεωκόροι* appellantur, etsi tituli desunt, nostro iure neocoriam attribuemus. Sed de aliis non paucis unius vel duorum nummorum ex auctoritate idem affirmare difficile est. Vel ideo igitur, ut disceptetur, utrum his oppidis neocoriam convenisse verisimile sit necne, quid ad obtinendum hunc titulum opus fuerit, accurate inquirere debemus.

Quo loco Nicomedensium, quorum neocoria altera quomodo instituta sit fortuito sciamus, rationem habere iuvat. Cassius enim Dio, quantum Saoterus Nicomedensis apud

---

1) cf. c. i. g. 4189 .... *κ]ατὰ τὰ δό[ξαν]τα τῇ λαμπρο[τάτῃ] βουλῇ κα[ὶ τ]ᾷ [κρα]τίστῳ δήμῳ Ἀδριανῆς Νικοπόλεως τῆς .... [νε]ωκό[ρ]ου κα[ὶ μη]τροπόλε[ως ...*

2) cf. journal of philol. XI p. 157 *ἀπὸ Ἀναζάρβου [τ]ῆ[ς] μητροπόλεως τῶν γ' ἐπαρχειῶν προκαθεζομένης καὶ β' νεωκόρου κ. τ. λ.*

3) cf. rev. archéol. n. s. XXXI p. 195 *τὸν ἐπιφανέστατον Καίσαρα Φλ. Οὐαλέριον Κωστάντιον ἡ λαμπρὰ τῶν Συνναδέων μητρόπολις καὶ δὶς νεωκόρος τῶν Σεββ. κ. τ. λ.*

Commodum gratia valuerit ut demonstret, *διὰ τοῦτο* inquit *καὶ οἱ Νικομηδεῖς καὶ ἀγῶνα ἄγειν καὶ νεὼν τοῦ Κομμόδου ποιήσασθαι παρὰ τῆς βουλῆς ἔλαβον* [1]). Cum autem Nicomedia neocoria simplici antea ornata ipsius Commodi in nummis neocoria duplici gloriari incipiat [2]), quin ad alteram neocoriam ei concessam verba Dionis pertinerent nemo adhuc dubitavit.

Tria igitur maxime ad potestatem neocoriae tituli gerendi necessaria esse videntur : ludi, templum senatusque consultum, quo utrumque confirmetur. Quod aliis quoque exemplis confirmatur. E. g. Cyziceni, qui inde ab Hadriano neocoria ornati videntur [3]), Hadriani templum exstructum habuisse [4]) et Hadrianea Olympia celebravisse [5]) scimus. Senatus quidem consulti huc pertinentis mentio non fit, sed Smyrnaei secundum senatusconsultum, quo bis neocori facti sint, i. e. quo neocoria sua altera confirmata sit, Hadriano auctore sese obtinuisse in titulo supra laudato c. i. g. 3148 testantur [6]). Tria autem haec neocoriae elementa, ut ita dicam, separata pertractare aptum esse videtur. Ac primum disserendum erit de templis.

§. 1.

De imperatorum in civitatibus neocoris templis.

Dubitavit Eckhelius num civitates, quotiens neocoriam instituerent, novum templum aedificare oportuerit [7]). Haerere

---

[1]) LXXII 12, 2.

[2]) Eckhel II 431.

[3]) cf. Eckhel II p. 454.

[4]) cf. Joh. Malal. p. 279 Bonn.; Marquardt, Cyzicus u. sein Gebiet p. 150; Perrot, rev. archéol. IX p. 350.

[5]) cf. Eckhel l. l.

[6]) Eckhelium, qui errore venia digno illud *δίς* in hoc titulo omisit (II 559), aequo diligentius secutus Monceaux idem peccat ac secundo senatusconsulto neocoriam primam confirmatam esse non male suspicatur (l. l. p. 14).

[7]) D. N. IV p. 304.

enim semet et ambigere vir illustrissimus confitetur „an singuli principes (scil. quos civitates neocoriis adulabantur) sua seorsim habuerint templa, an unum idemque praecedentis Augusti, aut etiam vetus numinis cuiuspiam domestici novo deo cellam indulserit“. Mire profecto vir egregius, ut civitas quaevis nullo Augusteo dedicato, cum Caesares domesticis numinibus adgregaret, neocoriae imperatoriae titulum sibi sumeret, fieri potuisse censet. An Asiae ullam civitatem, quamvis parvula esset, Caesares *ὁμοναούς* cum deis suis redigere neglexisse credi potest? Nonne e. g. Cyziceni sub Tiberio et Gaio Augustos et Augustas summo cum splendore cum Athena sua Poliade coluerunt [1]), neque tamen neocoros sese dicticant, priusquam Hadrianus templum splendidissimum apud eos sibi exstruxit? Nicomedenses autem, quos ab Commodo neocoriam alteram impetrasse cognovimus, ipsi Commodo delubrum vovisse Dio tradit. Item Smyrnaeos Hadriano, a quo neocoriam secundam adepti sunt [2]), templum dedicavisse scimus [3]). Quia autem alterae hae Nicomediae et Smyrnae neocoriae erant, ne id quidem, quod Eckhelius de uno templo ad complures neocorias pertinente protulit, comprobari potest. Ceterum in nummis persaepe tot finguntur templa, quot neocoriae ibi commemorantur [4]).

---

[1]) cf. titulos, quos edidit E. Curtius, Berichte der Berliner Academie 1874 p. 7 sq.; cf. Mordtmann, Mitteilungen 1881 p. 55. Reinach, bullet. de hellén. VI p. 612 sq.

[2]) c. i. g. 3148.

[3]) cf. Philostrat. p. 531 (Vit. soph. p. 43, 17 ed. Kayser) (*Πολέμων*) *Ἀδριανὸν γοῦν προςκείμενον τοῖς Ἐφεσίοις· οὕτω τοι μετεποίησε τοῖς Σμυρναίοις, ὡς ἐν ἡμέρᾳ μιᾷ μυριάδας χιλίας ἐπαντλῆσαι αὐτὸν τῇ Σμύρνῃ, ἀφ' ὧν τά τε τοῦ σίτου ἐμπόρια ἐξεποιήθη καὶ γυμνάσιον τῶν κατὰ τὴν Ἀσίαν μεγαλοπρεπέστατον καὶ νεως τηλεφανὴς ὁ ἐπὶ τῆς ἄκρας ἀντικεῖσθαι δοκῶν τᾷ Μίμαντι.* cf. ea, quae Kayserus adnotavit.

[4]) cf. Monceaux l. l. p. 23. Videlicet non minus saepe neocoriarum et templorum, quae in nummis finguntur, numerus non congruit. cf. Krause, l. l. p. 54 sq.

Multo maioribus difficultatibus ea quaestio obstructa est, utrum apud haec civitatum νεωκόρων templa communia quae vocantur provinciarum celebrata sint necne. Qui enim de ratione, quae inter concilia provinciarum et civitates νεωκόρους intercesserit, aliquid affirmare ausi sunt [1]), valde inter se dissentiunt. Quorum ex numero Marquardtius quidem, quod civitates sacrorum communium participes omnes neocoriae titulum sibi sumpsisse affirmat [2]), facillime refutatur. An credi potest in provinciis Cilicia, Galatia, Bithynia, Macedonia, Thracia unius tantum vel duarum vel trium civitatum — neque enim plures neocori appellantur — synedros sacris communibus interfuisse? aut in Asia, qua nullam provinciam civitatibus magis abundasse constet [3]), X vel XV, cum LX vel LXIV in Gallia [4])? Ab omni conciliorum ratione ac principiis hoc abhorret. Suo jure igitur Monceaux hanc opinionem repudiavit [5]). Alteram autem, qua concilia provinciarum in oppidis neocoris habita esse putantur [6]), ut labefactaret, vereor ne minus viro docto contigerit [7]).

Iniuria certe in eo offendit, quod Pergamum et Smyrna, quas civitates alteram sub Caesare Augusto, alteram sub Tiberio templis Asiae provinciae communibus ornatas esse constat, „non ante principes Trajanum et Antoninum (?) neocoratu suo superbire“ incipiunt. Nam confundit vir doctus r e m et n o m e n. An non illa multo prius institui

---

1) Krausium inter eos esse, qui eius rationem norunt, ipsi non existimabunt.

2) Staatsverwalt. I p. 504.

3) Marquardt, l. l. p. 340.

4) cf. Kuhn, Verfass. d. roem. Reiches II p. 6.

5) l. l. p. 18.

6) Breviter eam aperuit Mommsenus, Roemische Geschichte V p. 319.

7) Aliter Guiraudius existimasse videtur, qui in libro suo, quod inscribitur les assemblées provinciales dans l' empire Romain (Paris 1887), neocoriam ne verbo quidem dignetur.

potuit, quam hoc usi eam publice significare inciperent? Pervulgata quidem est opinio, qua oppida, ubi primum templo ludisque ex senatusconsulto institutis potestatem neocoros sese appellandi assecuti sint, in monumentis publicis neocoria gloriatae esse existimantur, sed qui eam sequuntur, toto caelo errant. An non alios quoque eiusmodi titulos multo postquam iura, quae iis significantur, civitatibus concessa sunt, in litteris publicis apparere constat? Quo loco monere liceat, quae Dittenbergerus de titulo *ναυαρχίας* exposuit [1]. Quem, quamquam in nummis Tripolis Syriae ante Elagabalum non invenitur [2], iam multo ante a Tripolitanis receptum esse apparet ex inscriptione basis Athenis Hadriani aetate positae c. i. a. III 622 *Τριπολιτῶν τῆς Φοινείκης, τῆς ἱερᾶς καὶ ἀσύλου καὶ αὐτονόμου καὶ ναυαρχίδος, οἱ ἄρχοντες καὶ ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος κ. τ. λ.* Atque Laodiceae Syriae, cuius in nummis huius tituli nusquam mentio fit [3], eum gerere licuisse ex inscriptione eadem aetate Athenis composita (c. i. a. III 479) cognoscimus. His autem civitatibus ab Hadriano eum titulum concessum esse nemo, qui quidem iudicare possit, affirmare audebit.

Neque minus tempus, quo civitates metropoles factae sunt, nummorum testimoniis definiri saepe nequit. E. g. Pergameni, quorum oppidum templo sub Caesare a provincia exstructo [4] metropolin fuisse nemo negabit, non ante Caracallae tempora metropoleos titulo in nummis gloriantur [5]. Aliae civitates ut Smyrna, Ephesus, Cyzicus in lapidibus quidem metropoles interdum appellantur [6],

---

1) Ephem. epigraph. I p. 245 sq.
2) Eckhel III p. 376.
3) cf. Head, hist. nummor. p. 660.
4) Cass. Dio LI 20, 6.
5) Eckhel II 472. cf. c. i. g. 3538.
6) Smyrna c. i. g. 3191. 3197. 3202—6. Ephesus c. i. g. 2968. 2977. pass. Cyzicus c. i. g. 3497. 3665. arch. des miss. scient. et litt. III sér. III p. 145 n. 64a.

sed nullo in nummo [1]). Itaque neque e silentio nummorum civitatem quamlibet metropolin non fuisse neque quando fuisse coeperit ex nummorum aut lapidum indiciis concludi potest. Ac suo iure Mommsenus in titulo M. Aurelii Philosophi aetate posito c. i. l. III 6121 *μητρόπολις*] *τῆς Θρᾴκης Φιλιππόπολις* supplevit, quamquam in nummis haec civitas non ante Sept. Severum eo nomine ornata occurrit [2]).

Idem autem de neocoria statuendum est : aut qui fit, ut Ephesii, quos primo p. Chr. saeculo *νεωκόρους* fuisse ex uno Neronis nummo cognoscimus [3]), per totum hoc saeculum paucis in lapidibus [4]), nullo alio in nummo eum titulum praedicent, atque Hadriani demum aetate cognominis fere loco eo uti incipiant? Qui fit, ut Pergameni, qui sub Trajano simplici [5]), sub Hadriano duplici neocoria [6]) in titulis gloriantur, Antonini Pii demum in nummis neocoriam sibi attribuere incipiant [7])? Quos ab Trajano demum neocoriam adeptos esse quis affirmare audet? Immo procerto ponere licet morem propter templa Caesarum exstructa neocoros sese appellandi in Asia provincia per primum p. Chr. saeculum sensim introductum altero saeculo magis magisque pervulgatum esse. Iam intellegis, cur civitates ab Asia remotiores, ut Ancyra Galatiae, cum tertio p. Chr. saeculo hoc exemplum sequerentur, duplicem ab initio neocoriam sibi attribuerint nulla simplicis ante mentione facta [8]). Nempe habebant hac aetate duo iam

---

1) cf. Head, hist. nummor. s. v.

2) cf. Eckhel II 44.

3) Mionnet III p. 93 n. 253; cf. supra p. 23.


4) Editi sunt *μουσεῖον κ. βιβλ. τ. ε. σχολ. ἐν Σμύρνῃ* III (1878—80) p. 180. Wood, discover. append. II n. 12. cf. Waddingt. bullet. de corr. hellén. VI p. 286/7.

5) c. i. g. 3548. Le Bas-Waddingt. 1722 a.

6) Le Bas-Wadd. 1721.

7) Eckhel II p. 472.

8) cf. Eckhel III p. 178. De concilio Macedonum, quod in nummis Caracallae neocoria eaque duplici gloriari incipit, cf. ibid. II p. 64.



FFB

